



SACRA NATALITIA

# DIVI CAROLI FRIDERICI

MAGNI DUCIS BADARUM REL.

DIE XXII. NOVEMBRIS MDCCCLI

AB

## ACADEMIA HEIDELBERGENSI

RITE PIEQUE CELEBRATA

SIMULQUE

PRAEMIA COMMISSIONIBUS VICTRICIBUS DECRETA

ET

NOVAS QUAESTIONES PROPOSITAS

RENUNCIAT

CAROLUS ZELL,

PHIL. DR. PROFESSOR P. O. MAGNO DUCI BAD. A CONSILIIS AULAE INTIMIS, ORDINIS LEONIS  
ZARINGICI EQUES. UNIVERSITATIS H. T. PRORECTOR.

PRAEMITTITUR

DISSERTATIO DE MIXTO RERUM PUBLICARUM GENERE GRAECORUM  
ET ROMANORUM SCRIPTORUM SENTENTIIS ILLUSTRATO.

---

HEIDELBERGAE.

TYPIS GEORGII MOHR.

MDCCCLI.



1  
9/13

Quando quis nostrum die festo, quem hodie celebamus, non ita pridem verba erat facturus, unam potissimum curam habebat materiae convenientis, de qua disputaret, inveniendae. Nunc autem, ex quo antiquus linguae latinae usus in eiusmodi solemnibus academicis deserit coepit est, duplex deliberatio ex hac cathedra dicturis suscipienda est, altera de apta materia quaerenda, altera de sermone quo utantur diligendo. Suam quisque de hac re sive opinionem sive sententiam tueatur; ego quidem ab eorum partibus sto, quibus haec nova antiqui moris immutatio non satis placet. Cur enim hoc commune universae rei publicae literariae vinculum per totum terrarum orbem diffusae revellatur? Cur antiquae doctrinae adhuc servata cum recentiori eruditione perpetuitas dissolvatur? Cur denique viva illa romani oris vox tot saecula personans nunc plane obmutescat, praesertim quam nec popularis eruditio nec patrii sermonis honor et continuato linguae latinae inter viros doctos usu quidquam detrimenti passurus sit? Nam et plurimae aliae viae sunt populi erudiendi, et, ut medium quod dicitur aevum taceam, quo poesis certe quidem vernacula laetissime effloruit sermone latino in scholis literariis regnante, etiam saeculo proxime praeterlapso latinus sermo in academiis frequentatus non impedivit, quo minus vernaculae literae felicissimo successu colerentur et exornarentur. Neque difficultas antiquo sermone nova inventa tractandi tam magna est, dummodo puerilis ad linguam latinam addiscendam institutio non ieuna regularum grammaticarum subtilitate, ut nunc plerumque sit, sed maiorum nostrorum more potissimum usu et exercitatione nitatur, neque nos qui latine loquimur vel scribimus anxia Ciceronianae latinitatis imitatione impediatur. Neutquam enim linguam latinam linguis plane mortuis et ad internectionem deletis adnumerari fas est, quippe quae, etiamsi populus latine loquens non amplius inveniatur, tamen inde a veterum Romanorum aeo non interrupta usus perpetuitate in religionum et doctrinæ sacrariis voce et stilo frequentata perduret. Suam igitur cuique aetati latinitatem permitti par est, modo barba-

rismorum et soloecismorum sordes absint et debitus genio linguae honor servetur. Accedit quod hac ipsa nostra aetate vel mulierculae nostrates et pueruli pluribus peregrinis sermonibus confabulari discunt, ut segnitiae vituperium literarum studiosi merito incurant, si sermonem latinum omnium reliquarum linguarum in commercio literario vicarium addiscendi molestiam reformident. Sed utut hoc est, ego quidem mori maiorum et muneris mei professioni in antiquis literis explicandis occupati deesse nolui, atque dum antecessoris mei in honore prorectoratus exemplum sequens latino sermone aurium vestrarum, auditores honoratissimi, fastidium tento, me a vobis si non laudem, certe veniam impetraturum esse spero. Nolite vero metuere, etiamsi laudator sim latini sermonis, ne latinae scilicet eloquentiae vos quasi flumine inundem; sed simplici potius et quantum potero dilucida oratione argumentum aliquod ex antiquis literis petitum, quod neque a nostrae aetatis rationibus alienum sit, brevi sum disputatione tractaturus. Sunt nimurum in quavis doctrina atque adeo in omni vitae usu certae quaedam opiniones, commenta, praecepta, quae per saeculorum succendentium aevum propagantur, quarum quidem primam originem investigare et persequi progressus haud parvi refert. Eius generis est in prudentia civili sive scientia politica praeceptum illud de praestantia formae rerum publicarum permixtae e tribus illis generibus monarchiae, aristocratiae et democratiae, atque singulis generibus simplicibus et separatis sive ut nunc dicere solemus absolutis longe anteferendae. Meministis, audtores, anglicae rei publicae constitutionem huius ipsius permixtionis et temperamenti nomine potissimum laudari solere; atque romanae rei publicae formam similiter apud Ciceronem in libris de re publica hanc ob causam potissimum commendari legimus primum quod non unius sit ingenio sed multorum, nec una hominis vita sed aliquot constituta saeculis, tum quod respublica quartum genus prae se ferat maxime probandum ex illis generibus moderatum et permixtum tribus.<sup>1)</sup> Quare operae pretium mihi facturus videor, si brevi adumbratione proposuero, quid graeci scriptores, unde omnis doctrinae politicae ratio manavit, et quid romani de hac forma civitatum permixta senserint docuerintque. Quae quidem mea disputatio fortasse hanc ob cansam auribus vestris non plane indigna videbitur, quia hic locus ab iis, qui historiam scientiae politicae tractarunt, nondum data opera, quantum scio, est perpolitus.

Primum vestigium huius de genere rei publicae mixto notionis neque tamen clare expressae sed obscurius significatae, in brevi sententia reperio Soloni adscripta, qui, quum septem illi sapientes de optimo regii imperii genere interrogarentur, dixisse fertur: optime regem agere, si democratiam ex monarchia efficeret. Nam cum irri-

sione sapientem dixisse, optime regem facturum esse si regno se abdicaret et statum popularem civibus impertiretur, ideo non putaverim, quod reliquorum omnium sapientum coniunctae sententiae rem serio tractant, neque de regno abolendo sed emendando et stabiliendo ibi sermo est; ut Solon potius regni aliquam cum statu populari complexiōnem et temperamentum commendasse mihi videatur.<sup>2)</sup>

Accuratiorem de trium generum temperamento doctrinam primi exponunt duo scriptores nobilissimi, Hippodamus Milesius et Archytas Tarentinus, uterque Pythagoreus, quorum fragmenta dorice conscripta inter Pythagoreorum reliquias habentur a Joanne Stobaeo servatas. Videamus primum de Hippodamo, cuius fragmenta ex operibus binis De re publica et De vita beata a multis pro suppositiciis habentur neque tamen vere ita esse certis adhuc argumentis milii demonstratum esse videtur; fragmentorum autem ipsorum ea est indoles, eae sunt virtutes, ut non facile eiusmodi fraudi perpetrandae parem inveneris falsarium.<sup>3)</sup> Ibi igitur Hippodamus sive verus sive personatus postquam a sophistis caveri suasit, invenimus praceptoribus, qui leges patrias et religiones convellere audeant, qua labe admissa neque veritatem certiore neque vitam hominum tuiorem honestiorem evasuram esse, sed plerumque maiorem caliginem et confusionem mentibus illapsuram, instituit docere sic: legibus optime rem publicam tum confirmari, si ex omnibus rerum publicarum generibus, sed bonis illis quidem et salutaribus, permixta sit, tyrannide et oligarchia exclusis. Itaque, inquit, primum genus regale sive imperium regium civitati inseri oportet; tum optimatum imperium. Sed quum regium imperium res sit ad numinis quasi imitationem comparata, ideoque integrum et rectum ab humano ingenio aegre servari possit: regnum non est instituendum plane arbitrarium nullisve finibus circumscriptum, sed tale quale ingenium humanum ferat et rei publicae conducat. Aristocracia sive optimatum potestas largius est in civitate admittenda, quod plures sunt in unaquaque cives, qui honores potentiamque et quaerant et mereantur, ne singulorum de individuo et summo imperio certamen pericula pariat. Democratico autem sive populari genere prorsus carere non possumus, quum quisque civis ut rei publicae pars est, ita etiam honoris aliiquid et commodi inde nancisci debet. Cohibenda tamen est democracia certis finibus, quia multitudo hominum praeceps est in agendo et temeraria.<sup>4)</sup>

Haud minus insignis est Archytæ Tarentini de eadem re doctrina in libris De lege et De iustitia olim exposita, quorum luculenta fragmenta supersunt. Archytas ibidem disertis verbis ita censem: oportere et leges et rem publicam ex omnibus tribus generibus conflari, ut habeat aliiquid ex democratia, item ex oligarchia, nec minus ex

aristocratia et monarchia, quemadmodum Lacedaemoniorum respublica mixta et temperata sit. Atque leges oportere non solum omnino bonas esse et honestas, verum etiam reciprocare (*αντιτελέσθαι*) debere diversas inter se reipublicae partes, imperandi et obediendi vicibus bene temperatis.<sup>5</sup>

Sed iam ad eos magistros doctrinae politicae transeamus, quorum non pauca fragmenta sed integra volumina eaque praelarissima habemus, Platonem dico et Aristotelem. Plato igitur, Archytæ aequalis, in celebratissimis illis de re publica libris, quibus universae vitae civilis adeoque humanae causas recludit, etsi diversas rerum publicarum formas mira arte describit, tamen hoc permixtum e tribus genus neque accuratius exponit, neque tanquam exemplar imitandum in rebus publicis constituendis proponit; quod non est cur miremur. Nam in exemplari rei publicae ab eo proposito, quae non tam forma est ad vitae usum accomodata quam species a divino eius ingenio profecta, totam civitatem viris sapientibus ad hoc munus a pueritia institutis et aetatis maturitate comprobatis regendam tradit nullo legum vinculo impeditis, sed pro sua sapientia et virtute et se ipsos et reliquos binos civium ordines, opificum et militum, regentibus. Alter res se habet in libris De legibus, quibus proprius ad vitae veritatem accedit atque rem publicam informat ad Cretenium et Lacedaemoniorum instituta expressam, eamque certis legibus et in omnes fere vitæ partes pertinentibus instruit. Ibidem hoc permixtum genus et temperatum luculenter exponit atque commendat. Quum enim in causas inquirit, cur Argi et in Messenia regium imperium non tam firmum duraverit quam Lacedaemone, hanc eius rei causam assert, quod regum Lacedaemoniorum permixta fuerit aliis generibus et temperata potestas, primum inter binos reges partita, tum etiam senatus et Ephororum potestate accidente moderata.<sup>6</sup> Quam rem postquam exposuit philosophus in hunc fere modum pergit: Omnino binae tantum sunt rerum publicarum formae penitus distinctae, originariae et omnium reliquarum formarum quasi genitrices, monarchia et democracia, quarum altera apud Persas, altera apud Athenienses ad absolutionem perfectionemque pervenit et ad extremos generis sui fines progressa est. Jam vero Persicae monarchiae, purae illius quidem et absolutae, optimus status erat et optimi reges, quoties adstricta regii imperii severitas, quamvis exigua libertatis specie et popularitate temperaretur, ut Cyro et Dario regnibus contigit. Quorum utriusvis filii, Cambyses et Xerxes, in aula et in immoderata potentia educati, quum hoc temperamentum adhibere deditarentur, regnum continuo in deteriorem conditionem adducebant. Atque rursus ut Persici reges nimiae dominationis ita Atheniensium civitas status popularis sive democratiae purae, absolu-

tae, et quasi meracae exemplum dedit, quo demonstraret, neque libertatem posse admixtione aliqua et temperamento carere. Nam ex quo antiquae libertatis Atticae temperamentum, aristocratia prudenter admixta, post persica bella turbari ob nimiam plebis potentiam coepit, continuo mores depravabantur et res publica moribus depravatis in pernicem ruit.<sup>7</sup>

Devenimus iam ad Aristotelem, quo inter omnes omnium aetatum scriptores nemo maiore ingenii acumine aut eruditiois copia doctrinam politicam tractavit, ut ipso praestantiorem in hac doctrina praceptorum reperi non possimus, sed ad quem intelligendum severiori studio et opera non perfunctorie collocata vel duce viam quasi monstrante opus sit. Neque enim verbosa facilitate lectorem invitat neque orationis pompa aut lenociniis captat, sed verborum in maxima sententiarum densitate parcimus iudicandi acumine et ubertate rerum excellit. Quapropter mirari interdum subit, Aristotelis politica inter nos plerumque vel ab iis negligi, qui legibus et iuribus cognoscendis data opera student et ipsi aliquando leges rerum publicarum condituri, iura dispensaturi sunt. Adeo nunc literarum studiosi aliis studiis vel magis necessariis vel magis amoenis detinentur, nonnulli fortasse etiam iuvenilis aetatis superbia quadam et ignoratione rerum impediuntur quo minus antiqui aevi sapientiae cognoscendae vacare possint velintve. Sed in viam redeamus, unde Aristotelis studium et admiratio me fortasse non satis opportune devertit, et videamus quid philosophus de genere rerum publicarum permixto docuerit, ubi primum de Aristotelis formarum rei publicae divisione verbo monuero.

Aristoteles igitur ex communi consuetudine tria rerum publicarum genera statuit, regii imperii sive monarchiae, aristocratiae, et tertium genus eius civitatis, qualem ipse πολιτείαν plerumque vocat vel etiam ex censu τημοκρατίαν, nos proprio vocabuli sensu rem publicam sive democratiam appellare consuevimus. Iam singula genera probabilia declarat et pro re nata admittenda, dummodo communem omnium civium utilitatem servent et ad humanitatis perfectionem sive vitam beatam, quantum fieri potest, contendant; in universum autem horum trium generum optimum habet imperium regium, ultimo loco popularem statum ponit. His tribus generibus probabilibus et bonis totidem sua cuique finitiae sunt degenerationes sive aberrationes (*παρεξβάσεις*): regio imperio tyrannis, aristocratiae oligarchia, politiae sive timocratiae, id est bono statui populari, perversa eiusdem aberratio, quam Aristoteles democratiam dicit, nos cum aliis scriptoribus graecis ochlocratiam nominare solemus.

De genere autem rerum publicarum mixto Aristoteles duplice occasione usus sententiam suam profert, primum in diiudicanda rei publicae forma a Platone in libris

*De legibus proposita; tam in ea Politicorum parte, qua suam ipsius doctrinam de singulis rerum publicarum generibus exponit.*

Platonis in libris *De legibus* sententiam supra a nobis allatam, id genus rerum publicarum maxime probantis quod ex absoluta monarchia et democracia sit permixtum, Aristoteles omnino reiicit, quum utravis forma per se non sit probanda, ut ex earum copulatione nihil boni existere possit. Deinde ne habere quidem quidquam regale formam respublicae a Platone in legibus propositam, sed esse potius ex oligarchia et democracia permixtam. Postremum concludit, eorum potius probandam esse sententiam (*ut Archytæ puta*), qui optimum rei publicæ genus illud habeant, quod sit e generibus monarchiae, aristocratiae, democratiae permixtam tribus, ob eamque ipsam causam Lacedaemoniorum rem publicam ita comparatam omnibus reliquis anteferant.<sup>9)</sup>

Iam Aristotelis ipsius de hoc genere doctrinam cognoscamus, in qua quidem examinanda si quis meminerit, Aristotelem omnem omnino virtutem in mediocritate quadam ab excessu et defectu utrinque reducta adeoque in temperamento quodam ad sannam rationem factio ponere, is non mirabitur a philosopho similem mediocritatem (*μεσότητα*) et temperamentum etiam in tota rerum publicarum conformatione sequendum commendari.<sup>10)</sup> Sed etiam singula rerum publicarum genera, bona illa quidem et probabilia, temperamento quodam egere docet, eademque pura, separata neque aliorum generum admixtione moderata non satis firma esse hunc sere in modum a regio imperio incipiens demonstrat. Bina, inquit, sunt omnino regii imperii sive monarchiae genera, alterum plena et prorsus arbitraria potestate praeditum, nullisque finibus circumscripta, ad exemplum patris familias domum suam ex mero suo arbitrio secundum officia sibi a natura imposita regentis; quod quidem genus philosophus παρθενίας appellat. Alterum genus imperii regalis est, in quo rex vario modo plus minus legibus, institutis, personis imperium participantibus obstrictus, nonnisi temperatum et certis finibus circumscriptum imperium habet. Iam quaeritur utrum genus in universum praestabilius sit. Qui regale imperium plenum et absolutum praferunt, hanc potissimum rationem afferunt: leges secundum rei naturam nonnisi generalia praecpta et universalia dare posse; in vera autem vita tantam esse easum, personarum, morum, temporum varietatem et tam multiplices singularum rerum proprietates, ut generalia praecpta non sufficiant, imo boneae administrationi rei publicae, ex temporum et hominum varietate varie secundum communem utilitatem gerendae atque verae iustitiae ex rerum usu non ex verborum formalis tuendae obstent. Quapropter multo praestare dicunt, hominis benevoli et vel per se sapientis vel aliorum consilio adiuti, id est regis;

voluntati et iudicio committere civitatis tranquillitatem et salutem tuendam, legum vinculis non impedito, quam inanimato et quasi caeco legum generalium imperio et immutabili nec ad rerum varietatem accommodandae necessitatibus se tradere. Contra hanc sententiam imperii regalis absoluti commendatricem Aristoteles ita fere disserit: isti legum defectui, qui ex generalium praceptionum natura existit, quam plurimum judices et magistratus medentur, quorum ope generalia legum praecpta singulis personarum et rerum conditionibus accommodantur. Tum recta ratio in omni re eo tutius servatur, quo longius animi perturbationes absunt. Haec ipsa autem ab animi perturbationibus vacatio in legem inanimatam cadit, in hominem non cadit. Qui legi imperium tribuit, numini quasi divino tribuit ab omnibus perturbationibus libero; qui homini soli legibus soluto tribuit, beluanum quasi adiungit, quum animi humani cupiditates et perturbationes beluis conferenda sint, quibus haud raro vel optimi viri imperium assecuti a recta via detorquentur. Lex est mera ratio, affectum et perturbationum expers. Denique contra naturam est, uni soli tam immoderatum in omnes reliquos cives imperium tribui, quorum multi natura, indole, virtutibus non tanto intervallo ab imperante distant. Ut ciborum et vestimentorum aequalis mensura inaequalibus corporibus non convenit, aequalia autem corpora aequalem mensuram exigunt: idem in honore et potestate distribuenda valere debet. Tum demum regium imperium plane nullis legibus obstrictum probandum sit, si quis unus heroica quasi virtute et communem humanitatis mensuram transgressa tantopere emineat, ut reliquos omnes quam maximo intervallo infra se positos habeat. Qua quidem postrema sententia philosophus Alexandrum regem, disciplinae suae alumnum, fortasse significavit, qui hoc ipso intervallo supra Macedonum suorum multitudinem et exterarum nationum barbariem ingenio et heroica virtute elatus esset.<sup>11)</sup> Neque minus Aristoteles alio loco censet, regali imperio temperamentum aliquod esse adhibendum, quum docet, civitatum formas omnino conservari temperamento aliquo e contrariis addito, itaque etiam regale imperium hac ratione firmari, si libertatis aliqua admixtione potestas regia remittatur. Quam viam Theopompum Lacedaemoniorum regem iniisse narrat Aristoteles, qui quum regiam potestatem ephoros instituendo temperasset, reprehensus ab uxore quod regnum a patre acceptum filii deminutum traditurus esset, Nequaquam, inquit, deminutum: nam diurnius futurum filius tradam.<sup>12)</sup>

Etiam reliqua bina rerum publicarum genera, optimatum imperium sive aristocratiam et democratiam, dummodo bene constituta sint, permixtione quadam et temperamento contineri Aristoteles ita demonstrat. Nimurum finis vel principium primarium

aristocratiae virtus est, oligarchiae census, democratiae libertas. Iam si haec terna elementa virtutis, divitiarum, libertatis apto temperamento copulantur, ut sua cuiusque ratio constet, tum solummodo vera aristocracia efficitur, quae nulla alia est, quam iusta horum trium elementorum mixtura.<sup>13)</sup>

Quodsi bina tantum horum elementorum inter se apta ratione permiscentur, census et libertas, laudabilis ille status popularis efficitur, quam politiam sive timocratiam Aristoteles appellat. De hac ipsa autem permixtione, politiae bonum genus sive popularem statum probabilem efficiente, philosophus copiose et singulari cum cura hunc fere in modum exponit.

Triplex est oligarchiae et democratiae sive census et libertatis, permiscendarum, ut inde politia efficiatur, ratio. Prima ratio haec est, ut ex aliquo utriusque de eadem re instituto tantum eius instituti alteram partem utrinque sumas coniungendas, alteram relinquas. Exempli causa in oligarchiis poenae ditioribus civibus imponuntur si iudices in iudiciis popularibus habendis non compareant, pauperibus merces pro munere indicis obeundo non praebetur. In democratis contra pauperioribus civibus eiusmodi merces iudicibus praebetur; ditiores poena ad iudicum munera obeunda non coguntur. Iam media et iusta mixtio politiae in iudiciis constituendis haec est, ut alterutra pars utrinque sumta copuletur, id est, ex oligarchia poena ditiorum iudicium, qui officio suo desunt, ex democratia pauperioribus iudicibus quo diligentius iudicis intersint proposita merces. Alterum mixtionis genus bina instituta ex oligarchia et democratis ita coniungit, ut servetur utrumvis, sed tertium quoddam novum institutum medium inter oligarchicum et democraticum addatur, quale hoc est. In democratia plane nullus requiritur ad comitia participanda census; in oligarchia permagnus; iam in politia neque nullus neque permagnus sed modicus exigitur census. Postremum tercia permiscendi ratio ea est, ut non diversae eiusdem instituti partes utrinque, ex oligarchia et democratia, seligantur inter se coniungendae; sed diversa instituta et sibi contraria utrinque desumta copulentur. Democratica, exempli causa, res est, in magistratibus creandis sorte uti nec ullum censum exigere; oligarchorum est, eligi magistratus non sortiri, et censum simul exigere. Iam politiae sive probabili democratiae generi accommodatum erit, ex alterutra alterutrum seligere institutum et inter se confundere, ex oligarchia magistratum electione non sorte creationem, ex democratia census in eligendis magistratibus omissionem. Permixture autem oligarchiae et democratiae apte ad politiam efficiendam temperatae hoc erit documentum, si eiusmodi politia ab aliis oligarchia, ab aliis democratia appellabitur, quum ita appareat, haec bina genera in politia

rite coaluisse; qualis Lacedaemoniorum erat respublica modo oligarchiae modo democratiae nomine appellata. Alterum bonae permixtione et commodi in politia temperamenti documentum hoc est, si eiusmodi politia suis ipsis viribus nixa, civibus statu rei publicae contentis, servetur et sustentetur, neque ulla extranea ope et auxilio ad sui conservationem eget.<sup>14)</sup> Eadem rectae permixtione ratio in politia constituenda etiam hoc modo perspicere potest. In omni enim civitate discrimina sunt qualitatis et quantitatis: qualitatem dico ut libertatem, censem, doctrinam, natales; quantitatem dico numerum eorum, qui haec bona vel participant vel iisdem carent. Iam ad stabilem et diuturnam politiam condendam, hoc ante omnia spectandum est, ut haec qualitatis et quantitatis discrimina iusta proportione in imperio constituendo exaequentur. Nam si nulla census et doctrinae ratione habita quilibet tantudem in re publica gerenda valet atque si penes maiorem numerum et imperitam multitudinem imperium est, tum mera democratis existit, perversum et iniustum rei publicae genus, politiae degeneratio. Sin pauci, opibus, natalibus, doctrina praecellentes soli imperium tenent et quasi dominantur, omni reliqua civium multitudine exclusa, tum oligarchia efficitur, non minus perversum genus neque diuturnum, quia tam numerosa civium multitudo a paucis dominis sibi imperari, quin ipsi aliquam imperii partem habeant, non diu patiuntur. In bono autem illo et laudabili genere politiae ab his binis extremis generibus aequre ducto, neque civium multitudo ab imperii participatione excluditur et minor numerus praestantiorum civium ob hanc ipsam excellentiam iusto libramento vel maiori civium numero aequiparatur; sed maximam imperii vim in civibus medii inter pauperrimos et ditissimos census sitam esse oportet, sine quorum pondere intermedio aut pauperes praevalituri sunt contra ditiores eosque oppressuri, aut invicem opulentiores cives contra pauperes.<sup>15)</sup> Quo melior autem haec permixtio, quo aptius hoc temperamentum efficitur, eo magis diuturnus et inconcussus permanet civitatis status. Ab iis qui aristocratiam sectantur haud raro peccatur non solum quod optimatibus plus aequo tribuunt, sed etiam quod insuper plebem offendunt. Plebis in bene temperata politia ratio habenda est his quinque partibus: in ecclesia sive comitiis participandis; in magistratibus eligendis; in iudiciis constituendis; in armorum usu et in puerili institutione regendis. Comitis interesse omnibus civibus omnino licet; poena si non intersint solum divitiis imponatur. Munera publica magistratumve honores detrectare iis civibus, qui sufficientem habent censem, ne licet, pauperioribus licet. Idemque de iudiciorum popularium participatione valeat. Ad armorum usum et gymnasiorum institutionem omnibus aditus pateat, hac tamen conditione, ut pauperibus et a militia et a gymnasiiis.

abesse sine ulla poena publice sancita liceat; ditioribus autem ne liceat. In democracia rursus pauperioribus civibus, qui vel comitiis vel iudiciis intersint mercedem largiuntur, ditioribus si desint poenam non imponunt. In politia autem bene temperata utrumque faciendum est, ut pauperibus si adsint merces tribuatur, ditioribus si desint poena imponatur, quo sit, ut omnes cives vel plurimi certe quidem concionibus et iudiciis intersint, alioquin nonnisi alterutri, aut ditiores ut in oligarchia fieri solet, aut plebis pauperioris multitudo, ut in democratia. Militiam capessere et publica arma tractare non omnibus qui in civitate vivunt liceto, sed tantum iis qui optimo iure cives sint et aliquam habeant rei publicae administrandae partem, ad quam rem census aliquis definiendus est, neque ille quidem admodum grandis, ut civium numerus arma publica et munera rei publicae participantium semper maior sit, quam eorum civium qui his iuriis carent.<sup>16)</sup> Causa et origo eorum malorum, quibus vel politia vel aristocracia intereant, plerumque haec est quod non apte et prudenter miscentur in politia quidem oligarchicum et democraticum genus, in aristocracia praeter eadem bina genera insuper virtutis tanquam tertium his binis generibus accedens elementum. Atque politia quidem praeaut in hac non satis exacta mixtione vel oligarchicum genus vel democraticum praeponderat, ita in alterutram degenerationem corrumpitur.<sup>17)</sup>

De summo peripateticae sectae auctore nunc oculos convertamus in nobilissimum rerum scriptorem Polybium, quem ex interposita inter utrumque aetate scriptor non supersit cuius hoc loco ratio habeatur.<sup>18)</sup> Iam ut Aristoteles non paucas assert sententias et praeepta de mixtis rerum publicarum generibus peracuta ille quidem et perquam memorabilia, sed nonnunquam significata potius quam uberioris enarrata, ita Polybius huic de genere mixto doctrinae, tanquam fundamento, totum suum prudentiae civilis sive politicae systema superstruxit.<sup>19)</sup>

Ac primum quidem etiam Polybius sex omnino rerum publicarum genera ut Aristoteles enumerat, sed nominibus aliquantum ab Aristotele recedens, tria probabilia, regnum ( $\betaασιλείαν$ ), imperium optimatum, statum popularem, quem quidem ex nostra consuetudine δημοκρατίαν, nec Aristotelem sequens πολιτείαν et τυποκρατίαν vocat; item tria mala et perversa genera, probabilem degenerationes, regii imperii sive βασιλείας degenerationem, quam ipse vocat μοναρχίαν, Aristoteles tyrannidem; deinde aristocratiae degenerationem oligarchiam, postremum democratiae ochlocratiam, quam quidem Aristoteles democratiam nominat. His sex generibus propositis summum praeceptum hoc pronuntiat: optimam omnino omnium rerum publicarum formam eam habendam esse, quae sit e tribus generibus illis bonis permixta. Quam sententiam dupli ratione probat,

primum ita ut demonstret, quam floxa et parum stabilia separata et simplicia rerum publicarum genera sint atque qua naturali et quasi inevitabili via purum neque ulla admixtione temperatum imperium regium transeat in tyrannidem, ea ipsa in aristocratiam, quae rursus in oligarchiam degeneret; ex oligarchia civibus non ferenda nasci democratiam eamque mox degenerare in ochlocratiam, a qua si quis vir fortis populum liberet, eum regem vel tyrannum fieri; ita orbem commutationum effici eodem unde initium ceperit redeuntem. Huic igitur commutationum inconstantiae et periculis optime ex Polybii sententia occurritur, si diversorum generum probabilium elementa et partes iam in prima rei publicae constitutione permixtae et conflatae contineantur, ut iam statim initio diversitatis illius in vita humana ratio habeatur, quae diversas rerum publicarum formas efficiat. Alterum permixti generis commendandi argumentum Polybius ex binorum nobilissimorum populorum exemplis petit, Lacedaemoniorum et Romanorum, quorum res publica ob nullam aliam causam tam diurnae fuerint, quam quia ex tribus illis generibus monarchiae, aristocratiae, democratiae coniunctis et apte permixtis constarent. Ad hanc autem laudem non eadem utrumvis populum via pervenisse Polybius ostendit. Nimurum Lacedaemonii hoc civitatis suae firmamentum unius viri ingenio et sapientiae debent, Lycurgi, qui hanc permiscendorum generum necessitatem et utilitatem acute perspexerit et statim ab initio in constituenda et ordinanda re publica Lacedaemoniorum adhibuerit. Romani contra idem bonum consecuti sunt, non unius cuiusquam hominis commento neque ex prudentiae civilis doctrina in artem redacta, sed rerum usu et variis vitae casibus edocti, dum sua cuique nascenti malo in republica remedia aptissima adhibent, sponte ac paulatim et natura rerum duce hanc rei publicae suae formam effecerunt.<sup>20)</sup> De Lacedaemoniorum re publica pluribus verbis ex Polybii sententia disserere brevitatis studio omittimus; hoc tantum commemo remus, Polybium non e binis generibus, quod Plato et Aristoteles statuerunt, sed Archytæ exemplum sequentem e tribus generibus rem publicam Lacedaemoniorum permixtam habere.<sup>21)</sup> Egregiam autem et illustrem descriptionem temperamenti trium generum in re publica romana adhibiti, quam Polybius nobis proposuit, apud ipsum cognoscat, quicunque potentissimi et firmissimi imperii causas exploratas habere velit.<sup>22)</sup> Tam apte autem haec tria genera, Polybio iudice, in romanae rei publicae forma coaluerunt atque tam aequis quasi ponderum momentis librantur, ut nemo facile deciderit, utrum imperium potius aristocraticum sit, an democraticum, an monarchicum. Quodsi enim consulum potestatem potissimum respexerimus regale fere sive monarchicum, si senatus auctoritatem aristocraticum, si ad populi po-

tentiam nobis democraticum videatur. Quod ut demonstret consulum, senatus, populi in re publica administranda partes copiosa et accurata enarratione persequitur. Hae ternaes autem imperii partes consules inter, senatum et populum distributae tam arcta necessitudine iunguntur et conglutinantur, ut nulla reliquarum ministerio et cooperazione egere possit, simulque tam acri custodia aliae ab aliis cohibentur, ut siqua pars nimiam et ultra constitutos fines progredientem sibi arroget, continuo a reliquis comprimatur et ad iustum trium potestatum libramentum revocetur.<sup>23)</sup>

Cum Polybio plane consentit in hac causa Cicero in libris *De re publica*. Scipio enim Africanus maior, quem ibi de optimo rei publicae genere disserentem introducit, plane eandem cum Polybio doctrinam sequitur. Qui consensus ne cui mirandus videatur, Cicero Laelium ibidem dicentem addit, Scipionem suum cum Panaetio philosopho disserere solitum coram Polybio, duobus Graecis peritissimis rerum civilium, multaque colligere ac docere, optimum longe statum civitatis esse eum, quem maiores Romanorum reliquissent.<sup>24)</sup> Quo autem Ciceronis sententia cum Polybio conspirans clarius appareat, ea quae de permixto rei publicae genere et universo et Romanae civitatis proprio per libros de re publica dispersa habentur in unum locum hic collecta ponamus.

Postquam igitur Scipio docuit, quam parum formae rerum publicarum simplices et separatae stabiles sint, et quam facile certa quadem transmutationum vicissitudine in aliam transeant, Itaque quartum, inquit, quoddam genus reipublicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi moderatum et permixtum tribus.<sup>25)</sup> Mox eandem sententiam repetit, et paulo inferius exponit uberiori, cuius posterioris loci non possum facere quin potissima verba decerpam:<sup>26)</sup> „Quod ita cum sit, ex tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium; regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis. Placet enim esse quiddam in re publica praestans et regale; esse aliud auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudo. Haec constitutio primum habet aequabilitatem quandam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi; deinde firmitudinem.“ Romanae rei publicae e tribus generibus temperatae pleniorum descriptionem, qualem apud Polybium habemus, apud Ciceronem desideramus, quum lacunis, quibus hoc opus *De re publica* laborat, haustasit. Sed Scipionem quoque Ciceronianum non minus quam Polybium ex iisdem causis romanae rei publicae praestantiam et firmitudinem repetere in aperto est. Quod iam inde consequitur, quia Cicero romanae rei publicae genus omnium optimum esse affirmat, hoc ipsum optimum autem omnino permixtum e tribus generibus et temperatum

identidem declarat. Accedit quod romanam rem publicam cum Lacedaemoniorum re publica qualem Lycurgus constituit, comparans, eandem aequabilitatem atque hoc triplex coniunctum rerum publicarum genus utrius populo commune fuisse dicit, sed ita ut consularem potestatem Romanorum imperio Lacedaemoniorum regio multo esse preferendum censeat.<sup>27)</sup> Regibus enim Lacedaemone nimium potestatis fuisse tributum atque nimis excelluisse vim, potestatem, nomenque regium, quum et hereditarium sit et nimis pauci sint senatores, quos penes summum consilium Lycurgus esse voluerit. Apud Romanos contra et consulari potestate intra unum annum inclusa senatu multo quam apud Lacedaemonios numerosiore rem publicam multo aptius esse temperatam.

Sequenti post Ciceronem aevo rerum scriptorem vel philosophum, qui hanc de permixto rerum publicarum genere doctrinam novis rationibus firmaverit, vel omnino exornaverit reperio neminem ad saeculum usque sextum post Christum natum praeter duo potissimum scriptores, Aristidem rhetorem et Petrum Magistrum officiorum. In eam enim aetatem incident libri sex *De politica* scientia a Petro Magistro officiorum conscripti, Iustiniani imperatoris aevō florente, eodemque Ciceronis in dialogi forma adhibenda aenulo, quorum librorum fragmenta Angelus Maius, tot antiquorum voluminum sospitator, primus edidit.<sup>28)</sup> In hoc igitur Petri Magistri dialogo colloquentes personae in hac doctrina consentiunt, civitatis optimae formam conflari oportere ex generibus monarchico, aristocratico, democratico, tribus. Aristides autem rhetor vel romanum sui temporis principatum ad mixtum rei publicae genus refert.<sup>29)</sup>

Hactenus de iis scriptoribus antiquis qui hoc genus rerum publicarum mixtum collaudant atque tribus illis separatis et simplicibus singulis praferunt. Neque vero deest inter anticos scriptores auctor contrariae sententiae gravissimus. Tacitus enim de eadem causa memorabile hoc iudicium fert:<sup>30)</sup> „Cunctas, inquit, nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his et consociata rei publicae forma laudari facilius, quam evenire, vel si evenit, haud diurna esse potest.“ Quae sententia haud mediocriter nos advertat afficiatque necesse est et propter summi scriptoris, rerum civilium peritissimi, auctoritatem et propter insignem eius a tot praestantissimis scriptoribus graecis et latinis dissensum. Utinam rationes addidisset Tacitus, quibus adductus hanc contrariam sententiam praferendam censeat. Quod quum ei facere non placuerit, periculum faciamus, mentem gravissimi in hac causa iudicis investigando cognoscere, eiusque abruptam brevitatem adeoque silentium quodam modo supplerre conemur. Ac primum quidem de romana re publica hoc patet, Tacitum quum permixtam rerum publicarum formam diurnam negat, romanam rempublicam aut ad

constitutionis genus non permixtam habuisse aut ad aetatem non diurnam. Utram sententiam Tacitus habuerit, rationibus non caruit. Videbatur fortasse Tacito veteris rei publicae romanae genus aristocraticum potius quam vere aequo libramento e tribus generibus temperatum; aut si permixtum non diurnum, vel ob continua plebis et primorum certamina et tam multas in omni genere intervenientes immutationes, vel quia quingentorum annorum, per quos vetus res publica romana duravit, spatiu[m] in populorum aevo ne diurnum quidem habuit. Sed utut Tacitus de veteris rei publicae romanae forma statuit, hoc manet, eum omnino universam hanc mixti generis formam a Polybio inprimis et Cicerone tantopere collaudatam, disertis verbis vituperare adeoque reiicere. Rationes autem cur ita senserit, quas silentio praeterire satius duxit, plures cogitari possunt. Fortasse arbitrabatur, tam diversa genera, imperii regii, potestatis optimatum et libertatis plebis, nonnisi in summa et constante omnium civium moderatione et iustitia consociari posse; quae virtutes quia neque plurimorum civium sint, neque omnino ob humanae naturae imbecillitatem satis firmae, ideo haec genera potestatis et imperii diversa nunquam vere et plene coalescere coniungique, sed semper si non aperto tamen caeco certamine inter se collidi, sine pace sincera et firma, temporariis tantummodo induciis interpositis; atque hoc ancipe[r]e rerum statu rem publicam in diversas partes trahi et aliquando discripi. Sed missis his rationibus et similibus quas Tacitus sequi coniiciatur, unam rationem afferamus ab ipso haud obscure significatam. Paulo enim inferius postquam verba modo a nobis allata protulit, diserto de sua aetate hoc dicit, conversum iam esse rei publicae statum neque alio modo rem romanam stare posse, quam si unus imperitet. Principatus igitur romani, qualis tunc fuit, sive imperii monarchici vim dividi adeoque debilitari noluit; atque quam confusione diversarum potestatum eo rei publicae statu qualis tunc esset inopportunam et perniciosam duxit, eandem omnino reiecit. In hac enim sententia vere Tacitus omnino erat de principatus sui temporis apud Romanos sive praestantia sive necessitate. Etiamsi enim antiquorum Romanorum, qui libera re publica vixerunt, virtutes vel maxime admiraretur, idemque incorruptissimus iudex veritatis et vindicta malorum principum romanorum tyrannicam dominationem et vitiorum immanitatem infamiae notis iniussit per omne aevum duraturis, tamen principatus institutionem ipsam tuetur obsequiumque erga principem commendat, inopportuna neque cum principatu concilianda libertatis et status popularis studia omittenda censet. Quae quidem Taciti sententia et doctrina civilis ex eius et scriptis et, quod iusto minus respici solet, ex eius vita civili munere publicorum gestione, uberioris a me alio loco est exposita.<sup>31)</sup>

In clausula disputationis ad quam pervenimus meae duo praecipue capita, auditores honoratissimi, teneamus, primum viros prudentissimos in medio civium suorum statu populari viventes, Platonem, Aristotelem, Ciceronem, non democratici imperii genus sed monarchici, dummodo recte constitutum temperatumque sit, optimum pronuntiare; deinde ex eorundem praestantissimorum et omnino ex sapientissimi cuiusque sententia, salutem populorum et civitatum non potissimum in rerum publicarum forma et constitutionis genere, sed ante omnia et unice fere in religiosa legum civitatis vel non optimarum neque plane perfectarum observantia atque in morum integritate ci-viumque virtute contineri.

Iam oratio mea ad eam rem se convertat, cuius potissimum causa convenimus et quae ut est a Carolo Friderico, immortalis memoriae Principe instituta, ita vel per se sola praecipuum festi huius solemnitati splendorem et gratiam conciliat. Renuntianda enim nunc sunt victorum nomina, qui in commissione literaria palmarum retulerunt, quod facturus sum ubi primum pro more consueto universitatis nostrae per proxime praeteritum annum acta brevi enumeratione laeta, tristia indicavero.

Professores ordinarii universitati nostrae adscripti sunt hoc anno, clarissimi viri peregre accersiti, theologorum ordini DANIEL SCHENKEL, iureconsultorum ACHILLES RENAUD, medicorum GUILELMUS LANGE, per quos academie nostrae firmari praesidia, augeri decus vel iam experti sumus vel certa spe ita futurum esse confidimus. — Collegae aestunalissimo, clarissimo, FERDINANDO SCHWEINS, qui quadraginta in professorio munere annos hoc anno emensus, per totum hoc temporis spatium disciplinas mathematicas in universitate nostra et docendo et scribendo illustravit, neque minus munera academica plurima indefesso studio et cura obeundo, optime de omni nostra universitate meruit, Princeps noster clementissimus ornamenta Consiliarii intimi classis secundae largitus est; senatus academicus et ordo philosophorum gratiarum actiones et gratulationes et suo et universitatis totius nomine coram et literis signatas obtulerunt.

Privatim docendi facultas data est doctoribus, in ordine iureconsultorum AEMILIUS KLEINSCHROD et ERNESTO PAGENSTECHER, in philosophorum ordine GUSTAVO HERTH.

Docere desiit, LEOPOLDUS GMELIN, qui per triginta septem annos et docendo et scribendo luculenter de chemiae scientia, quam professus est, meruit atque maximum

et sibi et universitati nostrae decus conciliavit. Quapropter optimo et clarissimo collegae cum nostra gratiarum ob merita eius actione optamus ex animo, ut desiderato post tot tamque diuturnos labores exantatos otio, sibi a Principe cum novis honorum ornamenti concesso, placidus et secunda valetudine recreatus quam diutissime perfruatur.

In alias universitates ad cathedras professorias capessendas vocati a nobis discesserunt ex ordine iureconsultorum vir ornatissimus GUILIELMUS DEURER, apud nos Professor extraordinarius, nunc in academia Gissensi Professor ordinarius; ex ordine philosophorum HERMANNUS HETTNER privatim docens, nunc in Ienensi academia Professor extraordinarius.

Horti botanici academicii Director IOANNES METZGER, qui eximiam in arte sua peritiam et usu et libris a se editis iam dudum comprobavit, de horti botanici institutione et cultura, quam per quadraginta fere annos curavit, et omnino de studiis botanicae et rei agrariae optime meritus, nunc Carlsruham evocatus et in latiore rerum gerendarum campo constitutus de agricultura in totius Magniducatus nostri ambitu promovenda bene merere pergit.

Supplementum literarum et instrumentorum apparatus ad tradendas et colendas disciplinas necessarium hoc anno varie auctum esse laetamur. Bibliothecae academicae praeter redditus suos annuos et ordinarios, insuper summa haud exigua libris comparandis assignata est; eademque munificentia apparatu et zoologico et anatomico obtigit. Comparari quoque coeperunt et in Bibliothecae aedibus collocari formae antiquorum artificiorum e gypso effectae, numero adhuc exiguo, sed ad quem augendum iam nunc aliqua pecuniae summa assignata est, et certos sumtus annuos suppeditatum iri speramus.

Mineralogici universitatis nostrae apparatus mediocritatem Professoris ordinarii collegae nostri in hac mineralogica quam profitetur disciplina celeberrimi, amplissima collectio, cuius usum et auditoribus et omnibus harum rerum cognoscendarum studiosis, liberalissime semper concedit, adhuc perquam commode suppleverat; sed iam fortuna favente collectio mineralogica mineralium et numero et pretio conspicua a viro clarissimo, SCHUELER Professore Ienensi longinquis peregrinationibus multoque studio comparata, in universitatis possessionem cessit, atque iis quidem conditionibus, quae et pristini possessoris disciplinarum fovendarum studium ergaque universitatem nostram eiusdem liberalitatem et benevolentiam luculenter comprobarent, et rationibus nostris essent accommodatissimae. Maxima autem gratiarum actiones Principi et Rectori nostro magnificentissimo debentur, quia et in hac causa clementiam erga nos suam

ostenderit (nam virum de doctrina promovenda et de nostra universitate meritissimum insignibus Leonis Zariugici equestribus condecoravit sumptusque ad totum hoc negotium conficiendum necessarios ex aerario publico suppeditari iussit) et quia omnino annuos universitatis redditus ex aerario publico, adsentientibus ducatus magni statibus, augere dignatus sit.

Auditorum nostrorum numero novissima duo tempora semestria incrementum attulerunt, ut brevi tempore nos ad pristinam ante civiles nostras turbas frequentiam reddituros esse certa spe auguremur. Neque minus universum rerum nostrarum statum considerantibus tranquillitas civium academicorum et legum observantia laudabilis videbitur.

Sed ut rerum humanarum vicissitudines afferre solent laeta, trestia, idem et nos experti sumus. Anno proxime praeterito unum e decoribus et luminibus universitatis nostrae amisimus, collegam celeberrimum et omnibus carissimum, FRANCISCUM CAROLUM NAEGELE, neque illum quidem in otium se tanquam in portum exacto cursu recipientem, sed ex ipso professorii muneri curriculo proh dolor! nobis immatura morte ereptum. Vere enim immaturam et lucluosam mortem primarii in arte sua viri, collegae praestantissimi, dixeris, qui etsi per plus quam quadraginta annos professorio muneri artique medicae obstetriciaeque operam navaverat, tam strenue adhuc utrique muneri vacabat et nominis sui gloriae, quam sibi vel maximam conciliavit, tam cumulate satisfaciebat, ut maturos et uberes doctrinae et artis fructus ab eo ad universitatē nostram etiam diu redundaturos esse, speraremus. Quae quidem mors per se iam satis acerba eo acerbior evasit, quod Naegelii filius FRANCISCUS CAROLUS, qui et ipse professoris munere apud nos per plures annos insigni cum laude functus in eadem arte, qua pater tantam gloriam assecutus est, iam praeclara ediderat doctrinae specimina, paucis mensibus post patris funus occubuit. Ita tristissimo casu accidit, ut filius tali patre dignus, quem patris in cathedra successorem esse oportebat, in funere successor efferretur. Sed dolor horum funerum superstitionibus si eximi nunquam potest, aliquod saltem doloris lenimen relinquitur cogitantibus, Naegelii nomen gratae tot hominum recordationi mandatum et in universitatis nostrā annalibus consignatum, inter praelarissima eorum virorum nomina sempiterno honore celebratum iri, qui instauratam hanc a Carolo Friderico aliam et perantiquam universitatem laboribus suis et meritis firmarunt, auxerunt et ad eum laudis gradum evexerunt, unde ne unquam delabatur posteris eorum omni cura nitendum est.

Obiit hoc anno etiam aliis universitatis nostrae collega celeberrimus, EBERHARDUS PAULUS, nonagesimum paene aetatis annum, rarum mortalibus aevum,

assecutus. Qui postquam triginta fere annos in theologorum apud nos ordine docuit, cathedra abhinc aliquot annis reicta, in otium se recepit, sed tam vegeta adhuc mente, tam indefessus et strenuus decretorum suorum defensor, ut hic senex suo ex otio plus negotii multis hominibus quam acerrimus quisque vir iuvenis facesseret. Diversorum hominum et diversarum aetatum (nam plures per aetales ut Homericus ille Nestor propugnavit), plane diversa iudicia expertus est; sed de cuius multiplice doctrina, ingenii acumine, indefesso inquirendi et cognoscendi studio, animique candore, qui novabant eum omnes consentiunt.<sup>32)</sup>

Sed a praeteritorum malorum recordatione iam huius horae festivitate recreamur atque ex iuvenum eruditione et industria praemii ornandorum spem capiamus, neque literis neque universitati nostrae praesidia et decora nunquam esse defutura.

Ex quaestionibus superiori anno a quatuor universitatis ordinibus ad certamen literarium propositis, binae tantum quaestiones, altera ordinis theologorum altera iure-consultorum, agonistas suos invenerunt. De quaestione philosophi ordinis commilito aliquis per literas nomine suo non addito nobis significavit, se commentationem huius quaestions profligasse neque vero praefinito temporis termino perficere potuisse, quae si comperendinato iudicio in proxime sequentem annum repetita vice proponeretur, se in arenam descensurum esse; sed eiusmodi comperendinatio in philosophorum ordine, quaestionibus ex diversis disciplinis alternatim succendentibus, locum habere nequit. Ordinum theologorum et iureconsultorum haec sunt de scriptionibus commilitonum certantium iudicia.

Postulaverat ordo theologorum, ut describeretur vera indoles communiois quae dicitur honorum in ecclesia Hierosolymitana.

„Una tantum Ordini oblata est commentatio, Calvini verbis inscripta: „póst-quam Christo nati sumus, debemus adolescere, ita ut non simus intelligentia pueri.““ Haec tamen commentatio ita est comparata, ut de eius praestantia dubitatio non possit moveri. Auctor opusculi quaestionem ab Ordine propositam bene intellexit, ad singulas eius partes ita respondit, ut summa eorum, quae protulit, probari possit, et in explicatione sua usus est dicendi genere etsi non semper eleganti et satis rotundo, tamen apto et dilucido, nonnullis in locis etiam concinna gravitate insigni. Id quidem silentio non premendum censemus, auctorem non ubique, uti par est, brevitatis studiosum, sed iusto copiosiorem fuisse, eumque novas, quas excogitavit, sententias nonnumquam speciosis magis quam eiusmodi defendisse argumentis, quae convelli nequeant. Attamen nos, ubi tantum non omnia nitent, non paucis offendimur maculis.

Si totum spectamus, auctor commentationis in omnibus fere operis sui partibus tum ingenii, iudicii, dexteritatis, tum etiam pietatis et candoris luculenta dedit specimina, praecipue autem talē comprobavit eruditōnē et lectionis copiam, qualem in homine adolescenti non sine admiratione potuimus suspicere. Propterea Theologorum Ordo unanimi consensu indicavit, auctorem non solum praemio esse ornandum, verum etiam exhortandum, ut quam optimis auspiciis ingressus est studii theologici viam, eam ad metam usque Deo annuente strenue perseguatur.“

Schedula reclusa auctor prodit:

HENRICUS IULIUS HOLTZMANN,  
CARLSRUHANUS.

„Ordo ICtorum postulaverat, ut colligerentur et explicarentur sententiae de iure hereditario quae in speculo tam Saxonico, quam Suevico continentur, et praesertim, quomodo inter se convenient aut discrepant, demonstraretur:

Ordo ICtorum tribus exhibitis dissertationibus gaudet, quarum una verbis ex speculo Saxonico Lib. I. art. 19. de promulgatis signata est:

„Suavesch recht ne tueiet nicht von sassischen rechte, wenne an erve to „nemen unde ordel to bescelden.“

Auctor materiam bene disposuit, et se in speculis non male versatum probavit, complura ex legibus Barbarorum ad illustrandam rem idonea, excerpta collegit, nec pauca, quae ab eruditis viris de iure antiquo hereditario Germanico scripta sunt, perspexit, in toto quoque opere conficiendo sedulitatem diligentiamque ita probavit, ut non parvam laudem meruerit. Attamen auctor plurima obiter tantum tractavit, non pauca, quae investigare debebat, plane omisit, nec satis in rei difficultatem et subtilitatem penetravit, alia quoque, quae eruditii viri de illo themate iam disseruere, adhibere neglexit. Quae quum ita sint, haud praemio dignum opusculum censeri potuit.

Altera dissertatio Seneca verba p̄ae se fert:

„Multum magnorum virorum iudicio credo; aliquid et mihi vindico“ — et tertia dissertatio Horatii dictum offert:

„More modoque apis Matinae.“

Uterque auctorum rem uberrime tractavit, neque solum in colligendis et comparandis speculorum locis, et in disquirendis eruditorum virorum sententiis studium quam maxime laudandum, sed etiam ingenium probavit, et speculorum de iure hereditario differentias in plurimis ita illustravit, ut pauca tantum desint, quae in utraque

dissertatione desiderentur. Prioris dissertationis auctor, quum competitorem in copia locorum ex speculis adhibitorum et comparatorum, nec non variarum, quae in speculorum textibus existunt, lectionum discussione et in arte libri componendi supereret, alterius contra dissertationis auctor ingenii sagacitate in explicandis singulis quidem, sed maioris momenti quaestionibus praecellit; ita ut Ordo ICtorum utrumque opusculum praemio ornandum iudicaverit. Quapropter Ordo ICtorum, ne operaे desit praemium, consentiente arctiore Senatu academico, a Ministerio Principis nostri et Rectoris clementissimi et magnificentissimi petiit, — quod gratiōse concessum est — ut loco unius praemii constituti binis victoribus bina praemia addicerentur.

Apertis schedulis, prioris dissertationis cum verbis Senecae auctor appetat:

ADRIANUS BINGNER,

CARLSRUHANUS;

alterius dissertationis Horatiano versu insignitae:

HENRICUS SIEGEL,

BRUCHSALIENSIS.

Quaestiones in proxime sequentem annum hae proponuntur, quas continuo renuntiaturus sum. Vestrum erit, commilitones, nullam non tentare harum quaestionum et acri studio de praemii a CAROLO FRIDERICO vobis destinatis certare. Nolite ullam eiusmodi quaestionum reformidare; non enim Sphinx aliqua, perniciosum monstrum, aerigma aliquod mortis periculo solvendum vobis proponit; sed alma mater Ruperto-Carola, amantissima vestrum et fortasse nonnunquam iusto indulgentior potius quam ferocior, aerigmata vobis proponit solvenda, quae etiamsi non tam plene et perfecte solveritis, ut praemio constituto potiamini, varios tamen et uberrimos fructus operaे vestrae in solvendo aerigmate collocatae procul dubio adepturi estis.

Ordo theologorum hanc quaestionem proponit:

„Disseratur de imagine hominis divina, ita quidem, ut primum quae ecclesiae evangelicae symbola confitentur et doctores veteres ea de re uberiori exposuerunt, colligantur, argumentaque eorum e scriptis sacris petita examinatur, tum mota de statu integritatis inter nostrates et vindices doctrinae Romanensis principales controversia enarretur et ex arbitriis Patrum usque ad Ioannem Damascenum illustretur, denique dijudicetur et in primis demonstretur vis et effectus huius controversiae in quaedam systematis dogmatici utriusque ecclesiae capita potiora.“

Ordo Iurisconsultorum postulat, ut „Disseratur de iure superficiario.“

Ab ordine Medicorum postulatur „Expositio historico-critica doctrinae de statu phylomate cornea.“

Ordo philosophorum has binas quaestiones tractandas proponit:

- 1) „Disseratur de Lyciorum civitatibus, earumque foedere, adhibitis veterum auctorum testimoniis, numis, inscriptionibus, itinerariis.“
- 2) „Quantopere ad agriculturam promovendam iuvet, modum et rationem, quae singulis locis exercetur, penitus cognoscere, ob omnibus hodie clare intelliguntur, nec desunt nonnulli libelli, in quibus status agriculturae in quibusdam regionibus exacte describitur et qui aliis auctoribus utilissimum praebent exemplum. Ordo philosophorum postulat ergo, ut omnia, quae ad statum agriculturæ in aliquo pago vel regione quadam angustis finibus circumscriptae spectent, sedulo colligantur et accurate describantur, quod Germanice *Landwirtschaftsbeschreibung eines Ortes oder Bezirkes* vocamus. „Quo in opere usus vernaculae linguae conceditur.“

Iam nihil aliud restat, quam ut honor Manibus augustissimi Principis CAROLI FRIDERICI debitus more solemni habeatur et ut vota huius festi opportunitate quotannis nuncupari solita a nobis renoverentur. CAROLI FRIDERICI ea sunt de hac universalitate merita, quae vel repetitis per longissimam annorum seriem gratiarum actionibus non exaequentur: nam qui vitam et salutem alicui acceptam refert, is ingratus merito habebitur, nisi quamdiu vivat, tamdiu benefactoris meminerit. Colamus igitur et nos et qui nos secuturi sunt hunc Principem, universitatis restauratorem, perenni in omne aevum honore, tanquam Genium huius loci tutelarem; quod dignius et sanctius a nobis fieri nequit, quam si ornatissimam hanc iuventutem, spem patriae et quasi florem, ad solidam in omni genere doctrinam, ad morum integritatem et modestiam, ad virtutis praecepta sequenda instituerimus ea voluntate, eo consilio, ea mente, cuius CAROLUS FRIDERICUS per diuturnum vitae et imperii tempus tot et tam illustria exempla edidit, monumenta reliquit. Sed etiam vos, commilitones, semper mementote, eum in finem hanc universitatem a maioribus esse conditam, a CAROLO FRIDERICO instauratam, in eundemque finem nunc ab optimo Principe foveri, a civibus sustentari, non ut nihil aliud sit quam voluptariae vitae diverticulum vel officina, in qua operarii literati, ut ita dicam, ad quaestum faciendum praeparentur, imo potius ut sit artium liberalium altrix, arx omnigenae doctrinae, verae humanitatis, quae sine virtute et religione consistere nequit, praesidium et firmamentum.

Patris vero memoriam recolere non possumus, quin ad augustimum eius filium, cogitatio sese convertat, qui amorem patris erga universitatem nostram aemulatur. Faustissima igitur quaeque exoptemus et a numine divino precemur pro LEOPOLDO MAGNO DUCE nostro, eodemque universitatis nostrae Rectore celsissimo et pro tota eius domo augustissima, quibus salvis, et universitatem nostram salvam permansuram esse confidimus.

## NOTAE.

- 1) Cic. De Republ. II, 1. et 23. — 2) Plutarch. Conviv. septem sapient. cap. VII... δόλων Ἐμοὶ μὲν ἔν, ἔφη, δοκεῖ μάλιστ' ἔνδοξος γενέσθαι καὶ βασιλεὺς καὶ τύραννος, εἰ δημοκρατίαν ἐκ μοναρχίας κατασκευάσεις τοῖς πολίταις. — 3) Ne doctissima quidem Caroli Friderici Hermanni Disputatio De Hippodamo Milesio (Marburgi, 1841) rationes huius quaestions diudicandae plane confecisse mihi quidem videtur. Singula rei momenta pensare non est huius loci; de diversitate, quae inter Aristotelis locum (Polit. II, 5) et haec fragmenta deprehenditur, haec bina tantum in universum significaverim: primum, Aristotelem non plenam et accuratam Hippodameae civitatis descriptionem proponere voluisse sed potiora tantum capita, quae sibi memoratu dignissima visa essent, inde decerpta (τὰ μὲν πλείστα καὶ τὰ μάλιστα ἀξιώγα τῶν ἐστίν I. l. p. 49. lin. 18. Ed. Goetting.); deinde divisionem ciuitatis tripartitam apud Aristotelem non tantopere discrepare a fragmentorum ratione, quanto prima fronte videatur. Nam tres Aristotelis ordines (τεχνίται, γεωργοί, τὸ προπολεμόν), qui nonnisi binos trium ordinum in fragmentis complectuntur (τὸ βάναυσον et τὸ ἐπίκουρον), ex ipsis Aristotelis mente nonnisi plebem (πληθὸς, δῆμον) constituire videntur extra optimates, e quibus magistratus plebis suffragii crearentur, quiique tertium Hippodami ordinem (τὸ βουλευτικόν) efficerent. (Aristoteles I. l. τοι διάρχοντας αἵρετες ὑπὸ τε δῆμου εἶναι πάντας. δῆμον δὲποιει τὰ τρία μέρη τῆς πόλεως, τὰς διάρεθεντας επιμελεῖσθαι κοινῶν καὶ ξενικῶν καὶ ὀρφανικῶν). Differentia ulique residua est, sed non maior, quam quae ex Aristotelis studio brevitatis vel errore aliquo, quem „incuria fudit Aut humana parum cavit natura“, explicari possit. — 4) Hippodamus apud Stobaeum Sermon. XLI. T. II. p. 112. Ed. Gaisford. Lips. — 5) Archytæ fragm. apud Stobæ. Sermon. Tit. XLII, 132. T. II. p. 146. 147. Gaisford. Lips. Hartenstein De Archytæ p. 64 haec fragmenta ad doctrinam politicam pertinentia pro genuinis habet. — 6) Plat. De legib. III, 11, p. 110. Ed. Ast. — 7) Plato De legg. III, 12. p. 112. — 8) Ad pag. 7 de Aristoteles divisione generum rei publicae h. l. significata Cf. Eth. Nicom. VIII, 10. Eudem. VII, 9. Polit. III, 6. — 9) Aristotel. Polit. II, 3. — 10) Aristotel. Polit. III, 9. — 11) Aristotel. Polit. III, 10 et 11. — 12) Aristotel. Polit. V, 9 ineunte. — 13) Aristotel. Polit. III, 6. — 14) Aristotel. Polit. III, 7. — 15) Aristotel. Polit. III, 10. — 16) Aristotel. Polit. III, 10. — 17) Aristotel. Polit. V, 6. — 18) Ex conjectura Frid. Osanni argumentis probabilibus confirmata (Beiträge zur griechischen und römischen Literaturgeschichte B. II. p. 8 sqq.) Dicaearchus, Aristotelis auditor, in libro deperdito qui inscriptus erat Τριπολετικός genus rei publicae et tribus generibus permixtum commendabat; indeque εἴδος πολιτείας δικαιαρχικὸν a Photio Cod. 37. commemoratum hoc ipsum genus mixtum intelligendum suspicatur Osannus. Sed haec omnia etiamsi docte excogitata propter obscuratam rerum memoriam plane incerta sunt. — 19) Polyb. VI, 3 sqq. — 20) Polyb. VI, 11. — 21) Polyb. VI, 10. — 22) Polyb. VI, 11—18. — 23) Polyb. VI, 15. — 24) Cic. De re publ. I, 21. — 25) Cic. De re publ. I, 29. — 26) Ibid. I, 35 et 45. — 27) Ibid. II, 23. coll. cap. 28. — 28) Mai Scriptorum veterum Nova collectio. Tom. II, p. 571 sqq. — 29) Aristid. XIV. Romae Encom. p. 360. Ed. Dindorf. — 30) Tacit. Annal. IV, 33. Hanc Taciti sententiam uberioris expavit et tuerit Bodinus De re publica Lib. II, 1, pag. 287 sqq. Ed. Ursellis. 1601. cuius quidem argumenta repetit Piccartus in Commentarij ad Aristotel. Polit. (Jenae, 1669) IV, 9. p. 568—579. — 31) Zell, Ferienschriften Bd. III. S. 67 fl. Tacitus als Staatsmann in seinem praktischen Leben. — 32) Haud alienum erit de vitis Professorum, quorum mortes hoc loco commemorantur, indicari, quae infra adduntur: Franciscus Carolus Naegle, Dr. philosoph. et medic. natus est Dusseldorfi die 12. Iulii 1778, Professor extraord. in univ. Heidelbergensi factus 30. Jun. 1807, ordinarius 25. Jul. 1810. Obiit 21. Ianuar. 1851. — Eius filius Franciscus Iosephus Naegle, natus Heidelbergae 1810, 22. Ianuar. inter privatum docentes receptus d. 23. Febr. 1835; Prof. extraord. die 8. Novembr. 1838. Obiit 5. Jul. 1851. — Henr. Eberhard. Paulus natus Leonbergii in ditione Wirtembergica die 1. Septembr. 1761. Dr. philosoph. iuris et theologiae, Professor ordin. theologiae et philosophiae in universitate Heidelbergensi factus die 13. Decembr. 1810. Obiit die 10. August. 1851.